



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 77. Papæ confilium de restringendis Synodi decretis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

**Sæcul. XVI.** „mittit, Principum precibus me satis-  
**A.C. 1562.** „facturum polliceor., Ceterum ad hu-

jus colloqui finem Papa familiariter ser-  
mone Insulano narrabat, sibi nuntia-  
tum esse, quod Valentiensis Episco-  
pus a Calvinistis Lugduni morantibus  
fuerit captus, Castillionæus autem Car-  
dinalis indies magis, magisque a vere  
Religionis semita, ac status Ecclesia-  
stici munere deviet, denique subjunxit,  
consultissimum fore, si Aurelianensis  
Episcopus Regis Christianissimi legatio-  
ne in Synodo fungeretur, ut de loci  
prærogativa forte emersura evitarentur  
dissidia, eoquod Lunæ Comes non modo  
tanquam Hispaniæ Regis, sed & Cæ-  
saris Orator ad Synodum esset ventu-  
rus, quamvis haud certo adhuc de ejus  
adventu constet, cum alia ex parte nun-  
tiatum esset, quod idem Comes Bohe-  
miæ Regis Filias in Hispaniam con-  
ducturus foret.

### §. LXXVII.

*Papæ consilium de restringendis Sy-  
nodi decretis.*

*Pallav. l. 18.  
c. II. n. II.* Interea Tridentinorum Patrum sollici-  
tudo examinandis quæstionibus circa  
Sacramentum Ordinis intenta erat, ac  
die abhinc decima octava Mensis Se-  
ptembris articuli postmodum discutiendi  
inter Theologos fuere distributi: cum  
vero

vero hujus Sacramenti examen necesse fari o conducebat ad quæstionem de re-  
fidentia, injecto sermone de Episcopo-  
rum oneribus, hinc summus Pontifex,  
ne hæc controversia rursus suscitaretur,  
veritus, Synodi Decreta non nihil re-  
stringere statuit, spe fretus, quod Prin-  
cipes huic proposito eo minus ob-  
luctaturi essent, quo ardenter ipse met  
suam Aulam emendare, ac tribuna-  
lium corruptelas severis legibus corri-  
gere incœpisset, ac insuper declarasset,  
quod tunc, si hæc decreta Principibus  
non probarentur, illis alia ratione sa-  
tisfacere, novisque eorum postulatis  
annuere paratus esset, dummodo nihil  
vi extorquere attentarent: eapropter  
jamjam desuper Legatos suos mandatis  
instruxerat, eaque innovabat. Verum  
literis recens acceptis, ac præsertim a  
Vicecomite admonitus sententiam mu-  
tabat: nam hic idem Sedis Apostolicæ  
Nuntius Pontifici hæc significabat:  
„Quinque ecclesiensis Episcopus altero  
„die post suum cum Legatis colloquium  
„de quo supra diximus, ex quadam  
„Congregatione in templo habita arri-  
„puit opportunitatem, atque ibidem  
„remanit retentis secum Episcopis  
„Hungariæ, ac Poloniæ cum parte ma-  
„jore Hispanorum, quos omnes cohor-  
„tatus fuit ad exactam emendationem  
„Eccle-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1562.

*Arcan. not.*  
*Vicecom. ad*  
*Borr. 24.*  
*Sept. apud*  
*Pallav.*

**Sæcul. XVI.**, „Ecclesiæ, quibus ajebat Cæsarem, tunc  
**A.C. 1562.** „a quavis sollicitudine militari liberum  
 „ob inducias cum Turca, omnem opem  
 „præstiturum, si modo ipsi in eo con-  
 „cordes, ferventesque perfisterent, nec  
 „a suo proposito recederent: porro Ar-  
 „chiepiscopus Granatenfis grates per-  
 „solvit ob operam oblatam, respondit:  
 „que, quod ipsi inter se de negotio a-  
 „gere velint.,,

## §. LXXVIII.

*Pontificis Epistolæ tam a se, quam a  
 suis ad Legatos datae.*

**Fallav. n. 12.** **C**um ergo summus Pontifex ex hisce  
 literis haud obscure cognosceret  
 quod Principes illum objecta Reforma-  
 tione potius terrere, quam eandem fe-  
 rio urgere quærerent, hinc non modo  
 ipse, sed etiam ipsius nomine Cardina-  
 lis Borromæus varias perscripsit literas,  
 in quibus hæc significabat: „ex Fran-  
 ciæ Oratoribus Romæ agentibus unus  
 „non ita pridem quæstionum examen  
 „differri postulavit: ego autem ei re-  
 „spondi, quod Synodus sit libera, ad  
 „eoque id ab ea petatur: nunc vero vo-  
 „bis indico, quod optem, ut fortiter,  
 „ac sollicite definitiones, morumque  
 „leges peragantur, pro eo, quod divi-  
 „num obsequium ac recta ratio postu-  
 „lant post tot inutiles moras: ceterum  
 volu-